



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

5 Vtrum materia sit pura potentia, & quo sensuid accipiendum sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

& formæ, ita etiam integra existentia eiusdem substantiæ componitur ex partialibus existentis materiæ & formæ. Quod in citato loco latius probandum est. Sequitur enim manifeste ex dicto principio quod existentia, & essentia actualis non re, sed ratione distinguuntur: ergo materia, ut est actualis entitas realiter distincta à forma, in sua entitate includit propriam partialem existentiam, in re etiam distinctam ab existentia partiali formæ.

Quod autem hæc existentia materiæ pendeat aliquo modo à forma, & ab informatione eius videtur negare Scotus, Henricus, & Gregorius locis supra citatis: contraria verò sententia, quam in 2. par. assertionis posuimus, communiter recepta est, quia materia, quamvis propriam existentiam habeat, illa tamen adeo imperfecta est, ut sine formæ adminiculo, naturaliter esse non possit: hæc vocatur in præsentia dependentia materiæ à forma. Qualis autem sit hic modus dependentiæ, declarari commodè non potest, nisi prius explicemus causalitatem formæ, & ibidem etiam tractabimus, an sit tanta dependentia materiæ à forma, ut sine illa nullo modo esse possit.

Dico tertio, Materia non habet ex se actualem entitatem, vel existentiam sine causa efficiente, sed oportet ut ab alio, scilicet à Deo, hoc esse recipiat. Hæc assertio secundum fidem certissima est; secundum Philosophiam verò non omnes admittunt esse demonstrabilem. Unde ex sententia Platonis materia ad omnem actionem, etiam Dei supponitur, & ideo infecta esse censetur, ut referunt ex Patribus Iustinus in orat. Parennetica ad Gentes, & Ambrosius lib. 1. Hexamer. cap. 1. & Athanasius libro de incarnatione. Verbi in initio, & ex Philosophis Plutarchus lib. 1. de lapidibus. Philopon. 1. Phys. tex. 6. & Themist. text. 35. De sententia verò Aristotelis dubiares est, quam tractabimus infra agentes de causa efficiente. Sufficiens autem demonstratur assertio posita, ex eo quod tantum esse potest unum ens per essentiam, & ab intrinseco necessarium, ut ostendimus infra, demonstrando esse Deum: illud autem ens non potest esse materia prima, nisi incidamus in eorum errorem, qui dixerunt materiam primam esse Deum, quem merito stultissimum appellat D. Thom. 1. p. q. 3. ar. 8. & 1. cont. Gent. cap. 17. nullum est enim ens substantiale magis distans à Deo, quam materia prima, nec quidquam magis Deo repugnat, quam illud munus, propter quod ponit materia prima, quod est recipere & esse potentiam passivam, actuari ac perfici: ergo materia non est ens per se necessarium, ac per essentiam: ergo non est ex se actualis entitas donec ab alio fiat & existentiam recipiat. Et confirmatur, nam esse ens actu ex se, & vi solius essentiae propriæ, est magna perfectio, quam entia finita perfectissima, ut sunt celi & angeli, non habent: imo illa sola est indicium infinitæ perfectionis: cū igitur materia imperfecta sit, non potest hæc perfectio ei convenire: sed hæc omnia latius tractanda sunt inferius locis citatis.

Corollaria ex superiori doctrina.

Ex hac conclusione sequitur primum, materiam factam esse per creationem, nec potuisse aliter fieri, & hoc sensu accipi debere, quod Aristoteles eā vocet ingenerabilem 1. Physic. c. 9. nam si intelligat, materiam esse omnino infactibilem, omnino errat, ut ostendimus: debet ergo intelligi, quod tali modo scilicet per generationem, producibilis non sit. Quod est evidens, quia materia, cum sit primum subiectum, non potest ex subiecto produci, aliàs supponeret aliud subiectum prius, quod repugnat: ergo non potest per generationem fieri: illud enim per generationem fit, quod ex præsupposito subiecto fit: relinquitur ergo ut solum possit per creationem effici: quia solum potest fieri ex nihilo. Dices hoc repugnat axiomatico recepto ab omnibus Philosophis: Ex nihilo

nihil fit. Respondeo, hoc solum esse verum respectu agentium naturalium, quæ sunt finita, & solum habent vim agendi per formam: non vero respectu Dei, qui est infinitæ virtutis, & summæ actualitatis, & primum ac per se ens, quod est causa prima totius entis participati, in quantum tale est. Recte vero inde concluditur, solum Deum esse posse effectorem materiæ primæ, quia proprium eius est creare, ut infra ostendetur.

Secundo inferitur ex dictis, materiæ entitatem esse incorruptibilem, quod potest ratione superius facta proportionaliter demonstrari: nam, quod potest corrumpi potest resolui in materiam præiacentem: materia autem non potest resolui in priorem materiam. Unde corrumpi, si proprie sumatur, solum competit composito ex materia & forma, quarum unio sit dissolubilis. Si verò extendatur ad ea, quæ cōcorrumpuntur (ut ita dicam) sic etiam potest convenire formæ, quæ à materia pendet in suo esse: quia ita destruitur, ut saltem maneat subiectum eius, si autem subiectum etiam primum destrueretur, non esset corruptio, sed annihilatio. Dices hac ratione recte probari, materiam non esse corruptibilem in dicta proprietate, non vero, quod ad corruptionem compositi non possit omnino destrui seu amittere esse: videtur autem hoc modo posse corrumpi, seu destrui: nam agens naturale sæpe est potens ad expellendam unam formam, & non ad introducendam aliam, ergo hoc modo est potens ad destruendam materiam, cum non possit sine forma conservari. Respondeo nunquam posse formam expelli à materia naturaliter, nisi per introductionem alterius, siue hæc introductio fiat ab agente proximo principaliter, siue instrumentaliter tantum, seu dispositivè: atque hunc modum generationis & corruptionis postulat ipse naturalis ordo rerum. Quæ omnia in sequentibus ex professo declaranda sunt. Inde vero fit, non posse materiam naturaliter corrumpi aut destrui secundum esse proprium, sed solum secundum unionem ad hanc vel illam formam, vel secundum privationem alicuius formæ, ut Arist. dixit loco citato: Deus aut per suam potentiam posset materiam destruere: non corrumpendo, sed annihilando, suspendendo influxum, quo illam conservat, & concursum, quo in illa formam introducit: hoc autem solum est per potentiam extrinsecam Dei: unde non impedit, quo minus materia de se perpetua & incorruptibilis sit.

SECTIO V.

Utrum materia sit pura potentia, & quo sensu id accipiendum sit.

Solutio argumentorum, quæ contra nostram sententiam in præcedente sectione posita sunt, ex resolutione præsentis quæstionis pendet: non est enim nobis negandum, quin materia sit pura potentia, cum in ea assertionem Philosophi omnes convenire videantur: sed verus sensus illius locutionis explicandus.

Varia opiniones.

Discipuli ergo D. Thomæ communiter interpretantur materiam dici puram potentiam, quia neque ex se, neque in se habet ullam existentiam nisi per formam. At vero Scotus, Henricus & alii supra citati, distinguunt duplicem actum, formalem, scilicet, & entitativum, & materiam docent ex se habere actum entitativum, non tamen formalem, & consequenter aiunt materiam vocari puram potentiam in ordine ad actum formalem, non vero in ordine ad actum entitativum.

Qui-

XVII.
Secunda pars.

I.

II.

Capitulum in
1. d. 3. q. 3. ar. 2.
2. d. 3. q. 3. ar. 2.
3. d. 3. q. 3. ar. 2.
4. d. 3. q. 3. ar. 2.
5. d. 3. q. 3. ar. 2.
6. d. 3. q. 3. ar. 2.
7. d. 3. q. 3. ar. 2.
8. d. 3. q. 3. ar. 2.
9. d. 3. q. 3. ar. 2.
10. d. 3. q. 3. ar. 2.

En ee, lib. 1.
Metaph. 67.
9-3. 7 68.
Genimtri-
confer lib. 1.
Phy. 9 9-3
a. 1.

Quidam autem moderni authores, cum in re ab Scoto non dissentiant, modum tamen loquendi non probant: fatetur enim illi materiam habere propriam existentiam, distinctam ab existentia formæ, & consequenter docent materiam actu esse extra nihil: negant tamen dicendam esse actum entitativum: tum propter rationem superius factam, quod neque est actus informans nec subsistens: tum etiam, quia licet materia habet actum existentie sibi proprium, non tamen est sua existentia, quia in omni creatura, existentia distinguitur saltem ex natura rei ab essentia.

III.

Veruntamen, res, quam illi authores docent, non displicet, non video, cur modus loquendi displicere possit, quia neque Aristoteli talis loquendi modus repugnat, ut ostendimus, neque à communi & recepto usu terminorum discrepat. Nam quot modis dicitur potentia, tot potest dici & actus: dicitur autem res esse in potentia, vel passiva, quia potest recipere actum, vel activa, quia potest efficere, vel obiectiva seu logica, quia, quamvis non sit, illi non repugnat esse: sic ergo res dici potest esse actus, seu in actu, vel respectu potentie receptivæ, vel potentie obiectivæ omnia pro nunc potentia activa, quæ nihil ad præsens refert. Materia ergo prima, quamvis sit pura potentia receptiva: atque ita in sua essentia nullum includat actum formalem, quod significatur per illam particulam, *pura*, nihilominus postquam creata est, non potest dici esse in pura potentia obiectiva: ergo hac ratione recte dicitur esse vel habere actum entitativum.

IV.

Neque quidquam ad hoc refert, quod sit, vel non sit sua existentia. Primum quidem, quia cum materia dicitur pura potentia, non solum negatur, quod sit actus, sed etiam quod constet ex actu & potentia: si autem materia habet propriam existentiam, licet demus non esse suam existentiam, negare tamen non possumus, quin constet ex sua essentia & existentia: ergo includit actum; nam existentia actualis actus est essentia secundum omnes, & maxime in illa opinione: ergo non potest materia dici pura potentia in ordine ad actum entitativum. Deinde iuxta illam sententiam non dividitur sufficienter actus in formalem & subsistentem: nam præter eos datur actus existentie, qui non est subsistens, cum in essentia recipiatur, nec est formalis proprie, cum non sit forma, sed dici potest actus terminativus essentia: ergo, cum materia, prout in re distinguitur à forma, includat hunc actum, non potest dici pura potentia in ordine ad actum entitativum. Præterea, iuxta illam sententiam de distinctione reali, vel ex natura rei existentia ab essentia actuali, negari non potest, quin essentia actualis, ut condistinguitur ab existentia, habeat aliquam actualitatem, quam non habet essentia concepta in sola potentia obiectiva: ergo essentia ipsa actualis, esto non sit sua existentia, est aliquis actus entitativus, id est aliquid aliud præter puram potentiam obiectivam: imo, nisi ita concipiatur essentia actualis, non potest intelligi illa opinio, quæ distinguit illam ab existentia, tanquam rem à re, vel à modo reali.

V.

Quicquid ergo opinemur de distinctione essentia & existentie, certe materia ut est in re distincta à forma est aliquis actus entitativus, tamen diverso modo: nam qui non distinguunt existentiam ab essentia ex natura rei, sed tantum ratione dicunt materiam, ut est entitas actualis, esse suammet existentiam, & actualem essentiam, quæ in re idem sunt. Et quia iuxta hanc opinionem, actus entitativus rei nihil aliud est, quam existentia, vel actualis entitas eius, ideo recte concluditur, materiam esse aliquem actum entitativum: iuxta aliam verò materiam distinguente ex natura rei existentiam ab essentia actuali, & nihilominus admittentem, materiam primam habere suam propriam existentiam, quam retinet sub quacunque forma, dicendum est materiam præter actum formæ,

& esse suam essentiam actualem, & habere præterea proprium actum existentie. Qui verò ita ponunt distinctionem realem inter essentiam & existentiam, ut negent materiam habere propriam existentiam, præter existentiam, quam affert forma, consequenter dicunt materiam esse puram potentiam in ordine ad actum, tam formalem, quam entitativum, seu existentiam: non tamen possunt negare, quin sit aliqua entitas actualis in esse essentia. Quamvis, quia ipsi sentiunt actualitatem essentia omnino pendere ab existentia distincta, ea ratione dicere possint materiam, etiam in re habere entitatem essentia, tamen illa esse ita potentialem, ut non sit capax existentie, nisi mediante forma: atque hoc sensu possunt illam vocare puram potentiam, etiam in ordine ad actum entitativum.

Cum igitur nos opinemur habere materiam suam partialem existentiam, & existentiam non distingui à parte rei ab actuali essentia, sed tantum modo concipiendi nostro, verissimum etiam censemus materiam ut in re est actualis entitas, esse etiam in re aliquem actum entitativum, & secundum rationem, seu modo nostro concipiendi, componi ex esse & essentia, tanquam ex actu terminante, & potentia quasi obiectiva. Et utrumque constat satis ex proximè dictis contra superiores sententiam. Loquor autem semper de materia ut est actualis entitas, quia si concipiatur secundum id tantum, quod ex se habet seclusa omni efficientia, si nullam habet actualitatem in se, sed tantum est in virtute causæ, & ex se solum habet non repugnantiam essendi: veruntamen hoc non est proprium materie: nam etiam forma, imo & omnis creatura secundum se spectata, est hoc modo in pura potentia: oportet ergo loqui de materia ut est actualis entitas, vel quod idem est, quatenus secundum se habet proprium actum existentie distinctum ab actu formæ.

Ut autem solvantur difficultates tactæ superiori sectione, & explicetur modus loquendi Philosophorum, & omnis ambiguitas terminorum auferatur, adverto nomen *actus* multipliciter sumi posse, nam interdum absolute, interdum respectively dicitur: aliquando enim dicitur actus, quia actuatur aliquid, quomodo forma est actus materie: Et hunc voco actum respectivum; quia est actus alterius. Aliquando verò dicitur, quia in se est actuale quid, & non potentiale, quamvis nihil aliud actuatur, quo modo Deus dicitur actus, & hunc voco actum absolute dictum. Rursus uterque istorum actuum subdistingui potest: nam actus actuans alius est Physicus & formalis, ut est forma Physica: alius verò est actus Metaphysicus, qui est multiplex: alius enim est actus essentia, ut differentia, alius existentia, ut existentia: & addi etiam potest actus seu modus subsistentie, Actus verò absolute dictus, alius est actus simpliciter, alius secundum quid. Prior est ille actus, qui in genere entis simpliciter, seu substantia ita est completus, ut nec constituatur per actum Physicum à se distinctum, neque per illum actuatur, aut illo indigeat ad existendum. Vel aliter explicari potest, illud ens dici actum simpliciter, quod ex vi suæ actualitatis solius includit perfectionem formalem, quam alia entia composita habere solent per substantialem actum informantem. Unde licet huiusmodi actus absolutus, non sit actus actuans, vel informans, dici tamen potest esse actus formalis eminenti modo, id est, per se habens complementum illud perfectionis quod per actum informantem conferri solet his entibus, quæ per compositionem complentur. Actus autem secundum quid dicitur ens illud, quod habet aliquam actualitatem, in quantum actu est extra nihil: illam tamen habet incompletam, & imperfectam, quia non est ita sufficiens, quin indigeat alio actu, tum ut compleatur in ratione entis simpliciter, tum etiam ut existat.

Quæ-

Questionis resolutio.

formam. Ex his ergo constat, merito dici puram potentiam in genere substantiæ, optimeque prædicto modo explicari; nam cum materia sit entitas simplex, & tota ipsa sit potentia receptiva, optime appellatur pura potentia. Sicut autem dici solet, dictioem exclusivam non excludere concomitantia, ita illa dictio *pura* non excludit entitatem & actualitatem secundum quid, necessariam ad rationem potentie realis, sed excludit in primis omne aliud munus præterquam potentie passivæ, & deinde excludit rationem actus completi, seu simpliciter, & absolute dicti, & (quod in idem redit) excludit omnem actum formalem, tam proprie informantem, quam simpliciter constituentem actum perfectum & completum.

Est autem propter usum verborum considerandum, aliud in rigore significari, cum dicitur materia pura potentia. Primum enim simpliciter verum est, & habet legitimum sensum expoliticum; secundum vero, ut minimum est ambiguum; nam esse in pura potentia in rigore significat privationem actualis existentie: unde solum dicitur de eo, quod actu nihil est, esse tamen potest, quod dici non potest de materia, postquam creata, vel concreta est. Nam, licet sit propinquit non tamen nihil, sed vera res, ut supra cum Augustino dicebamus. Et simili modo distinguere possumus has locutiones, *Esse in actu*, vel *esse actum*: materiam enim *esse in actu*, simpliciter verum est, quia hoc nihil aliud significat, quam materiam esse in rerum natura, & existere, quod verum est: licet est verum, materiam esse creatam, recipere formam, & componere compositum, quæ omnia includunt existere; Materiam vero *esse actum*, ut minimum est ambiguum; nam absolute significare videtur esse actum actualem, aut certe esse actum simpliciter: & ideo absolute id admittendum non est, sed cum aliquo addito diminvente, scilicet *esse actum entitativum imperfectum*, & secundum quid.

Quod autem hæc explicatio materie in ratione pure potentie, sit consentanea dictis Aristotelis, & aliorum Philosophorum, patet. Nam primo Phisice tex. 69. comparans materiam primam ad materiam artefactorum, dicit, ita se habere ad formam & essentiam simpliciter, sicut lignum ad statuum, vel formam statui. Unde concludit materiam esse quid informe: per hæc autem & similia dicta solum excluditur à materia omnis actus formalis, & completus: non vero actus entitativus, incompletus, & quasi inchoatus, sine quo realis potentia receptiva esse non potest. Deinde id constat ex definitione materie, quam tradit i. Phisic. 9. tex. 82. dicens materiam esse *primum subiectum*, ex quo per se fit aliquid, cum insit. Dicitur enim materia inesse rei genitæ, quia per suam entitatem manet in re genita, per se componendo illam, & secundum eam entitatem ait Aristoteles ibidem, materiam esse priorem re genita, & esse ingenerabilem & incorruptibilem. Ac rãdem ait, materiam per se esse ens; per accidens autem non ens ratione privationis: non ergo excludit à materia omnem actualitatem entitativam, sed formalem, ad quam est in potentia. Deinde 7. Metaphys. & aliis locis, cum ait, materiam non esse quantum, neque quale, neque hoc aliquid, solum excludit ab entitate materie compositionem ex actu informante, & omnem actum formalem. Neque ad munus & officium materie, re vera aliquid necessarium est, ut patet ex illa ratione, quam assert etiam Plato in Timæo & ex illo Aristotelis 3. de Cælo, cap. 5. scilicet, quia hoc receptivum est aliorum, oportet non habere actu ea quorum est susceptivum, sed potetia tantum: materia autem est susceptiva actus formalis, & esse complet: ergo respectu horum dicitur esse pura potentia, non respectu propriæ entitatis. Præterea in eodem sensu dixit Averroes materiam substantiari per posse, quia talis substantia est, ut tota sit ordinata ad

XI.
Esse potentia
& esse in po-
tentia, in quo
differt.

Differt esse
actu & esse
in actu.

XII.
Explicatio
præmissa de
potentia ma-
terie Aristote-
li consentanea.

VI. Dicendum est ergo primo, materiam non vocari puram potentiam respectu omnis actus Metaphysici, id est, quia nullum actum Metaphysicum includat: hoc enim verum esse non potest. Primo, quia materia prima in suo conceptu essentiali potest intelligi ex genere & differentia composita, ut, verbi gratia, si materia cæli, & horum inferiorum distinguuntur specie, hæc materia generabilium, de qua nunc agimus, constat genere materie in communi, & propria differentia, quæ sumi potest ex ordine ad formam entis generabilis: habet ergo hæc materia suum actum formalem Metaphysicum, quo in sua essentia constituitur. Et confirmatur, nam materia natura sua aliquam perfectionem & bonitatem transcendentelem habet, ut etiam docuit Divus Thomas 3. cont. Gent. cap. 20. Certum est enim, compositum ex materia & forma, perfectius quid esse, quam sit sola forma: ergo aliquid perfectionis habet materia, quam addit composito. Item ipsa materia est appetibilis, & conveniens, non tantum ut medium, sed per se, quia ratione suæ perfectionis est conveniens huic formæ, vel composito: ergo habet materia ex natura sua aliquam propriam perfectionem: sed non potest intelligi perfectio sine actualitate aliqua, saltem transcendentelem. Præterea habet materia actum existentie proprium, ut ostensum est. Tandem habet actum subsistentie partialem, & proportionatū: illo enim omnino indiget, ut possit esse primum subiectum: primum enim subiectum subsistat omnibus: prius autem est in se subsistere, quam subsistere aliis. De qua re dicemus plura infra tractando de subsistentia. Igitur non potest materia prima ita esse pura potentia, ut excludat omnem actum Metaphysicum actualem.

IX. Dico secundo: Materia non est ita pura potentia, quin sit aliquis actus entitativus secundum quid. Hæc assertio satis declarata est, & probata ex dictis circa opinionem Scoti. Et ex ratione primi subiecti sufficienter colligitur: nam in primo subiecto necessaria est realis potentia passiva, vel potius ipsummet essentialiter est potentia passiva, non potest autem intelligi potentia passiva realis, sine aliqua actualitate entitativa. Qualiter enim potest intelligi, quod aliquid sit verè ac realiter receptivum alterius, nisi in se aliquid sit? Unde recte Commentator 3. de Cælo, comment. 29. ait omnem potentialitatem passivam in aliqua actualitate fundari. Et D. Thomas 1. parte questionis 45. artic. 1. ad primum ait, materiam non dicens in potentia eo modo, quo dicitur esse in potentia ens possibile: ex sola non repugnantia terminorum: supponit ergo esse aliquod ens actu fundas realem potentiam passivam, vel quod potius sit realis potentia passiva in genere substantiæ.

X. Dico tertio: Materia dicitur esse pura potentia respectu actus informantis seu actuantis, & respectu actus absolute & simpliciter dicti. Declaratur, nam in primis materia non est actus actuans, neque informans, ut per se constat ex ratione primi subiecti. Deinde in suo intrinseco conceptu & essentiali non includit actum Phisicum informantem: ostendimus enim esse entitatem simplicem, quod etiam ex ratione primi subiecti colligitur. Præterea materia talis est entitas, ut per se sola sufficiens non sit ad existendum sine substantiali actu ipsam perficiente, & actuante, unde ex vi suæ præcisæ entitatis nullum formalem actum includit formaliter aut eminenter, & ideo non est actus absolute & simpliciter. Denique quicquid est in entitatis materia prima, totum est ad exercendum munus potentie receptivæ forme substantialis: ad hoc enim est primario ac per se instituta, & ideo ut supra dicebamus, in sua essentiali ratione includit transcendentelem habitudinem ad

VI. Dicendum est ergo primo, materiam non vocari puram potentiam respectu omnis actus Metaphysici, id est, quia nullum actum Metaphysicum includat: hoc enim verum esse non potest.

VI. Dicendum est ergo primo, materiam non vocari puram potentiam respectu omnis actus Metaphysici, id est, quia nullum actum Metaphysicum includat: hoc enim verum esse non potest.

VI. Dicendum est ergo primo, materiam non vocari puram potentiam respectu omnis actus Metaphysici, id est, quia nullum actum Metaphysicum includat: hoc enim verum esse non potest.

X. Dico tertio: Materia dicitur esse pura potentia respectu actus informantis seu actuantis, & respectu actus absolute & simpliciter dicti.

recipiendum, & ideo essentialiter sit incompleta, & potentialis. Et eodem modo declarat potentialitatem materiae D. Thom. quaestione de spiritualibus creat. art. 1. citans Augustinum libr. 1. Genesis ad litteram, cap. 14 & 15.

Soluuntur argumenta ex precedente sectione relicta.

XIII.

*Materia
Metaphysica
composita ex
actu & po-
tentia non
Physica.*

Per hanc ergo satis responsum est ad omnia testimonia, quae in precedente sectione contra nostram sententiam afferebantur. Imo & rationes etiam fere soluta sunt; probant enim optime materiam esse puram potentiam, non tamen in alio sensu ab eo quem nos explicuimus, quod patebit clarius, respondendo in forma ad rationem ibi factam. Cum enim dicitur, materiam non esse compositam ex actu & potentia, id verum esse concedimus de proprio actu, & potentia Physicis Metaphysicè verò concedi debet materiam componi ex actu & potentia sibi proportionatis, id est, ex genere & differentia, essentia & existentia, natura & substantia incompletis. Cum verò inferatur, quod daretur potentia prior materia: respondetur de Physica potentia, id est inconueniens, & plane repugnans, non tamen sequi ex dictis, cum non dicamus materiam esse compositam ex potentia & actu Physico. Si verò sit sermo de potentia Metaphysica, sic verum est materiam in communi cōcipi ut priorem, quā hanc speciem materiae, & essentiam materiae, ut priorem suā existentia non quatenus est ens actu, sed absolute, & similiter naturam materiae in aliquo genere esse priorem suā substantia partiali. Nec tamen in rigore sequitur dari in re ipsa aliquam potentiam priorem materiae, sed in ipsa materia dari unam rationem priorem alia: semper tamen in illa ratione, quae, ut prior concipitur, includitur ipsa potentia materiae vel in confuso, ut in conceptu materiae in communi, vel ut possibilis, ut in praeciso conceptu essentiae materiae, vel per modum partialis naturae tantum, praeciso partiali modo subsistendi.

XIV.

Ad alteram verò partem, qua probatur materiam nullo modo esse actum, concedimus non esse actum actuantem seu informantem, neque etiam esse actum simpliciter in se consummatum & perfectum. Quod ad summum ostendunt rationes, quibus ibi probatur, materiam non esse actum subsistentem, non tamen probatur, non esse actum incompletum, & entitativum. Unde in hoc sensu nego, partialem entitatem, seu actum subsistentem esse perfectiorem quolibet actu informantem, quia illam partialem entitatem minus participat de ratione actus, quam actus informantis. Deinde nego, non posse dari actum subsistentem incompletum, nam ipsamet essentia materiae subsistens est propria substantia partiali, & cum illo addito potest appellari actus secundum quid, id est secundum suam entitatem, quia separatur a nihilo, & ab ente possibili. Reliqua verò omnia, quae ibi adducuntur, procedunt de actu completè subsistente & includente actum formalem per simplicem modum & excellentiorem. Et in eodem sensu est verum, quod in quadam confirmatione ibidem subditur, omnem actum esse principium alicuius operationis: est enim id verum de actu formali, siue informante, siue completè subsistente: non tamen oportet, ut sit in uniuersum verum de omni actu partiali, & entitativo: quia non est necesse omnem entitatem esse principium alicuius operationis propriè & in genere causae efficientis; nam potest ad aliud genus causae exercendum institui, & ita entitas materiae est ad recipiendum, non ad agendum.

XV.

Obiectiones contra superiorem resolutionem.

Sed adhuc supersunt soluendae nonnullae aliae objectiones, quae contra ultimam assertionem huius

sectionis fieri solent. Prima, quia absque esse nullus est actus, quia nihil habet actualitatem, nisi in quantum est: & ideo ipsum esse est actualitas omnium rerum, ut ait D. Thom. prima parte, quaestione 4. art. 1. ad tertium, sed materia non habet esse nisi per formam, ut ait Avicenna libro 2. suae Metaph. cap. 2. & Boetius lib. de Unitate & uno, ait omne esse in rebus creatis esse à forma: ergo. Secunda, quia alias ex materia & forma non fieret per se unum: quia ex duobus entibus in actu non fit unum per se: ideo enim ex subiecto & accidente non fit per se unum, quia aliud est esse subiecti, aliud accidentis. Tertia. Materia physice est omnino simplex: ergo, vel tota est actus, vel tota potentia, quia simplex entitas non potest constare ex actu & potentia Physicis. Sed non potest dici, quod tota sit actus, cum sit essentialiter potentia: ergo est omnino potentia nihil includens actus. Quarta, quia purus actus ita est actus, ut nihil habeat admistum potentialitatis, seu potentiae receptivae: ergo e contrario pura potentia ita est potentia, ut nihil habeat actualitatis admistum: nam oppositorum eadem est ratio: & quia pura potentia debet summe distare à puro actu: non distaret autem summe, si aliquid actualitatis includeret. Quinta, quia si materia aliquid est actu: ergo vel substantia, vel accidens: non secundum, ut per se constat: neque etiam primum, quia est potentia ad substantiam: quod autem est potentia ad aliquid, non est actu illudmet, nam haec duo repugnant. Vltima, quia alias posset materia cognosci per se, & directè, ac propria cognitione, quod videntur Philosophi communiter negare cum Arist. & Platone locis citatis.

Prima & secunda obiectio ex professo tractandae sunt infra in disputatione de essentia, & esse creaturarum: nunc breuiter principium illud: Omne esse est à forma, duobus modis exponi potest. Primo de esse specifico, & completo. Secundo, quod omne esse est à forma, vel intrinsece dante, & componente illud, vel saltem terminante aliquo modo dependentiam eius: & hoc modo ipsum esse materiae potest dici esse à forma, quatenus ab illa pendet, ut dictum est. Aliud verò axioma: Ex duobus entibus in actu non fit unum per se, non potest intelligi de quibuscunque entibus actualibus: nam potius impossibile est ens per se ac completè actu componi nisi ex entibus actualibus. Incompletis: nam quod nihil est, ut saepe diximus, non potest realiter componere, & praesertim ens per se unum. Debet ergo intelligi de entibus in actu completis in suis generibus: illa. n. nec per se ordinantur, nec reuolte cohaerent ad componendum unum per se. Non dicimus autem materiam esse hoc modo ens actu, sed potius dicimus esse veluti quandam inchoationem entis, quae naturaliter inclinatur, & per se coniungitur formae ut coplenti integrum ens; ut latius postea explicabimus.

Ad tertium responderetur, materiam totam esse potentiam, & totam esse actum, qualem nos explicuimus, non per compositionem actus cum potentia, sed per identitatem, & (ut ita dicam) per intimam & transcendentalem inclusionem: non enim omnis potentia opponitur omni actu, sed cum proportionem: potentia igitur receptiva non opponitur actu entitativo incompleto, sed potius illum essentialiter includit.

Ad quartum dicitur primo, sicut purus actus nullam includit potentiam receptiuam alterius actus: ita puram potentiam nullam includere actum actuantem aliud: & quoad hoc tenet proportio, non vero quoad actum entitativum. Unde si de hoc sit sermo, negatur consequentia, quia inuoluit repugnantiam, quod sit potentia realis receptiva, quantumvis pura, quin intime includat actualitatem entis. E contrario vero non repugnat ita includere actualitatem entis, ut nullam potentialitatem inuoluat. Potentialitas enim dicit imperfectionem: non repugnat autem dari perfectionem ita puram, ut omnem imperfe-

perfectiorem excludat: repugnat verò dari imperfectiorem realem puram sine vlla perfectione: nam potius esset nihil, & pura negatio omnis perfectionis. Vnde, sicut Theologi dicunt dari summum bonum, quod nihil mali includat; non tamen dari summum malum, quod tale sit, vt nullam bonitatem habeat, vel in ea fundetur ita licet detur actus purus, qui omnem excludat potentiam; non tamen potest dari pura potentia, quæ omnem excludat actualitatem, etiam entitativam & incompletam. Quod autem obiciebatur de summa distantia inter puram potentiam & purum actum, primo expediri potest, negando esse de ratione puræ potentiæ, vt summè distat à puro actu; nam materia cœli est pura potentia, & tamen non summè distat à puro actu: plus enim distat materia horum inferiorum; cum sit imperfectior; & incertum adhuc est, an possit fieri alia materia minus perfecta, quam hæc inferior; & consequenter magis distans à perfectione Dei. Accidentia item magis distant à perfectione Diuina, quam materia prima. Distingui item potest duplex distantia; vna dici potest negatiua, qualis est inter ens & nihil: alia positiua ex parte vtriusque extremi. Non est ergo de ratione puræ potentiæ vt distat à Deo priori modo, sed posteriori: & ideo quamuis admitamus puram potentiam summè distare à puro actu, non sequitur debere puram potentiam, nullam includere actualitatem; quia illa distantia non est summa comparata ad negatiuam, sed inter positiuas, & ideo requirit aliquam conuenientiam inter extrema in entitate, est illa conuenientia minima sit.

Ad quintam respondetur, materiam esse substantiam, vt expressè docet Aristoteles 8. Metaphysic. à principio, & sepe aliis. Vnde materia non est potentia ad totam latitudinem substantiæ, sed ad formam, & ad esse compositum; ad substantialem autem entitatem materiæ non est in potentia, sed actu est talis entitas. Repugnat enim dari potentiam realem, & receptiuam respectu totius generis & latitudinis substantiæ, vt completam & incompletam comprehendit, quia substantia prior est accidente; & ideo talis potentia, cum sit primum subiectum, non potest esse accidens, sed substantia; neque etiam potest esse in potentia ad se ipsam: ergo nec potest esse in potentia ad totam latitudinem substantiæ. In quo est magna differentia inter formam substantialem, & accidentalem: nam accidentalis supponit ens nobilioris generis, scilicet substantiam; & ideo fieri potest vt subiectum vel potentia ad accidens non sit accidens vllò modo, id est, neque completum, neq; incompletum: forma verò substantialis non supponit ens nobilioris generis: & ideo potentia ad talem formam non potest non esse aliqualis substantia, saltem incompleta.

SECTIO VI.

Quomodo possit materia cognosci.

I. **M**ateria ex se de se non cognoscitur, vt de cognitione, seu cognoscibilitate materiæ paucè dicamus. De qua multa dicuntur ab authoribus: breuiter tamen dicendum est, aliud esse loqui absolute de cognitione materiæ secundum se: aliud verò de modo quo à nobis cognosci potest. Priori consideratione concedo materiam posse cognosci directè & propria cognitione: sic enim & à Deo, & ab Angelis cognoscitur per propriam speciem, vel conceptum. Quamquam enim Theologi disputent, an Deus habeat propriam ideam materiæ, & quidam negare videantur cum Platone in Timæo: tamen re vera id negare non possunt, nisi fortasse quoad modum loquendi. Plato enim negauit materiam esse creatam à Deo: & ideo mirum non est quod Deo negarit ideam materię. Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

quomodo sit pura potentia. quamuis verisimile non sit negasse Deo propriam cognitionem saltem speculatiuam materię. Cum autem secundum veram doctrinam Deus sit materię creator, non potest omnino carere idea materiæ, cū omnia per intellectum & voluntatem operetur. Sollet autem illa idea dici non esse propria, id est adæquata ipsi materiæ, quia Deus non habet aliam ideam totius, & partium; sed per ideam compositi representat materiam, vt ait D. Tho. 1. p. qu. 15. art. 3. ad tertium. Hoc tamen non impedit quo minus exactè, directè, & prout in se est, materiam representet, vnde Caiet. ibi speculatiuam rationem materię admittit, quamuis non ideam. Albert. verò 1. d. 35. art. 10. non dubitauit etiam ideam materiæ concedere. Simili modo Angelus dici potest cognoscere materiam directè & per propriam speciem, non quia illa species nihil aliud representet: fortasse enim eadem species quæ totum compositum representat, est principium cognoscendi materiam, sed quia talis species representat materiam secundum propriam rationem eius, & directè, & absque vlla Metaphora vel Analogia in eius cognitionem ducit.

Dices: Materia non potest sine forma cognosci etiam à Deo vel Angelo: ergo nunquam potest propria cognitione cognosci. Aliqui respondent negando antecedens: cum enim materia suam entitatem absolutam habeat distinctam à forma, secundum illam potest præcisè concipi, vel conceptu realiter distincto ab aliis, vt in Angelo, qui voluntarie potest solam materiam contemplari, vel saltem ratione distincto, vt in Deo, quod sentit Scotus in Prolog. qu. 1. & in 2. dist. 12. quæst. 1. & inclinat Themistius 1. Physicor. tex. 61. qui loquuntur absolute de cognitione materiæ. Probabilius autem videtur materiam non posse prout in se est essentialiter & comprehensiuè concipi sine forma, saltem vt termino aptitudinis essentialis, quam materia habet ad formam, vt frequentius authorores docent: & sumitur ex Aristot. 2. Physicor. cap. 2. vbi ait materiam esse eorum quæ sunt ad aliquid, habitudine scilicet transcendentali, vt supra declarauimus: quæ autem huiusmodi sunt, non possunt cognosci sine suis terminis. Vnde admissio antecedente negatur consequentia, quia conceptus proprius est vnicuique rei accommodatus: & ideo si res sit respectiua, tunc proprio conceptu intelligitur, quando concipitur per respectum ad aliud. Neque inde sequitur, quod materia non habeat in se & ex se propriam actualitatem suæ entitatis, sed solum quod non habeat illam sine habitudine transcendentali ad formam: nam etiam è conuerso forma vt informans, seu vt informatiua est, non potest concipi sine respectu ad materiam cuius est actus.

Si verò loquamur de cognitione materiæ quoad nos, in ea cognitione considerare possumus, vel modum inquirendi, & inueniendi cognitionem materiæ: vel terminum huius inquisitionis, seu conceptum vltimū, quem de materia formare possumus. Quoad primum, verum est quod Aristoteli ait 1. Physicor. cap. 7. tex. 69. & ex illo Damasc. in sua Physica, cap. 3. materiam cognosci à nobis per proportionem seu Analogiam ad materiam rerum artificialium, vel ad subiectum mutationum accidentalium: nam nos non peruenimus in materiæ cognitionem nisi per viam mutationis, vt supra declaratum est. Hoc autem non prouenit ex eo quod materia non habeat aliquam entitatem & actualitatem, sed ex eo quod substantialis mutatio occultior est, & sentiri per se non potest: & ideo à nobis non percipitur nisi per ordinem ad accidentales, & sensibiles mutationes. Imo inde etiam fit vt formam substantialis non cognoscatur à nobis directè, sed per indicia sensibilia, vt mox videbimus. Et hac ratione dixit etiam Plato in Timæo materiam cognosci adulterina cognitione, vt notauit Simplicius 1. Physicor. tex. 96.

Quoad secundum autem dicendum est peruenire requi-

Materia i-
deam Deo
habet.

II.

Materia cō-
prehendi nō
potest, non
cognita for-
ma.

III.

IV.

Z

re qui-